

satis dictum est: nunc ad imaginum rationem transeamus. Quoniam ergo rerum simulacra esse oportet, et verbis nosmet notas similitudines elegere debemus, duplices imagines esse debent; unae rerum, alterae verborum. Rerum imagines expromuntur, quum summatim ipsorum negotiorum similitudines comparamus: verborum imagines constituuntur, quum uniuscujusque nominis et vocabuli memoria similitudine notatur. Rei totius memoriam saepe una nota et imagine simplici comprehendemus, hoc modo: Ut, si accusator dixerit, ab reo hominem veneno necatum, et hereditatis causa factum arguerit, et ejus rei multos dixerit testes et consciens esse; si hoc primum, ut defendendum nobis expeditem sit, meminisse volemus, in primo loco rei totius imaginem conformabimus: aegrotum in lecto cubantem faciemus ipsum illum, de quo agetur, si formam ejus tenebimus; si eum non cognoverimus, aliquem aegrotum non de minimo loco sumemus, ut cito in mentem venire possit, et reum ad lectum ejus adstituemus, dextera poculum, sinistra tabulas, medico digito testiculos arietinos tenentem. Hoc modo et testium, et hereditatis, et veneno necati memoriam habere poterimus. Item deinceps cetera crimina ex ordine in locis ponemus: et, quotiescumque rem meminisse volemus, si formarum dispositione, et imaginum diligenti notatione utemur, facile ea, quae volemus, memoria consequemur. Quum verborum similitudines imaginibus exprimere volemus, plus negotii suscipiemus, et magis ingenium nostrum exercebimus. Id nos hoc modo facere oportebit: „Jam domitionem reges Atridae parant.“ In primo loco constitutere oportet manus ad coelum tollentem Domitium, cum a regibus Marciis loris caedatur. Hoc erit, jam domitionem reges. In altero loco Aesopum et Cimbrum subornare, in Iphigenia agentes Agamemnonem et Menelaum: hoc erit, Atridae parant. Hoc modo omnia verba erunt expressa. Sed haec imaginum conformatio tum valet, si naturalem memoriam exsuscitaverimus hac notatione, ut, versu posito, ipsi nobis-